



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Quoties in die, sub finem vitæ, à calculis, & exulceratione fuerit  
vexatus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

inde pile magnitudine extuberans. Ab his omnibus, quotidiana erant & domestica praelia. Externum aliquod accersendum erat, quo Lesius frangi posse videbatur.

Cum ad septimam Generalem Congregationem proficisceretur, non longe à Lucerna (vrbs est in Germania Italiaq; confinibus) ipso exaltata Crucis festo die, ut videlicet crucem haberet, qua aliquando ad calos exaltaretur, euerso quo vehebatur curru, tibia ei confracta est: stetit tamen illi animus. Agnouit à DEO vulnus illud esse: letus gratisque excepit, & quidem ea animi in diuino beneplacito quietus; ut nec preces ad Deiparam Lauretanam ex itinere pro sanitate fundendas putarit.

Qui leserat, sanauit DEVS; non ut deinceps abstineret, sed ut iterum fortiori manu, non nihil respirantem, vulneraret. Proximo ante mortem quadriennio, à Latiensi prasule Antonio de VVinghe magna sanctimonie viro, consilij causa Bruxellam Lesius euocatur. Et ecce itinere medio, duo calculi, uno gallinaceo pares (uti post mortem compertum est) nullo umquam antea indicio cogniti, quasi calo lapsi, vesicam cruentant & exulcerant. Crudeliorem numquam ipse hostem sensit. Mala praterita huic composita, lusus erant. Et tamen eadem illa mala, quasi in auxiliares vires euocata, ut grauius nocerent, simul cum utroque lapide, eodem tempore plerumq; sauebant: adeo ut Lesius & ab hernia, & à colica, & ab hepate, & à stomacho, & à tiliarum pruritu, & ab alui obstructione, & à duobus illis lapidibus ferociter pugnantibus, crudelissimum bellum simul sustineret; & subinde pie quiritans exclamaret: Omnia excelsa tua & fluctus tui super me transierunt Domine. Tanta erat mali illius acerbitas, ut quamuis mortem, tardam etiam adustionem, pra ea Lesius eligeret. Neque diu neque noctes, à doloribus vacabat, incommodè & iacebat, & sedebat, & stabat. Pes uterq; sub planta (cum nempe frequenti pulsatione utriusq; calculi per os vesicae percurrere molientis impetum sustineret) ita conterebatur, ut Lesius vix deinceps, nisi duplicatis soccis, & sic agrè adhuc consisteret. Ita nullibi requies, nusquam pax: ubiq; bellum. Totum postremum quadriennium in perpetua ista carnificina transactum est.

Apud Medicos, ipsa etiam experientia in confesso est, dolores musculorum neruorumq; esse acutissimos. Et verò omnis binorum lapidum

VI.

VII.

VIII.

dum ferocia in Lesij musculos nervosq; debacchata est. Orificium vesicae usq; adeo presserant, ut exulcerationem facerent, qua incredibilem toties lanienam efficiebant, quoties urinam mirè acrem, ardentem inflammatamq; calculorum motu reddere cogeretur. Die una & nocte, si tricies dumtaxat torqueretur; inducias habebat. Solenne illi erat sexagies cruciari: ultimo vita tempore non minùs centies; semper eà doloris intemperantiâ, ut non maiorem persentisceret, si violenter anima à corpore eijceretur. Sanè nisi dolor intervalla habuisset, dicebat Lesius, jam pridem primis calculi assultibus diuortium anime fuisset. Moriebatur itaque quotidie, & renascebatur; tricies alias, alias sexagies, nonnumquam centies. Si numerum ad horas subduxeris, nunc quot horis, alias quot dimidiatis, saepè singulis hora quadrantibus, morientem nascentemq; Lesium inuenies. Id nempe divina agebat providentia, ut millies vitam suam Lesius quodammodo profunderet, quam inter Ethnicos, Turcas & haereticos, millies & millies, pro DEI sui gloria prodigere exoptabat.

IX.

Quid hoc mali esset, nec ipse, nec Medici assequabantur. Alij à calculo; ab humoribus vesicae impactis alij ducebant. Frustra balneationes, emplastra, Syrix, asinum & caprinam lac prescribebantur. In eam tandem mentem Lesius venerat, ut secari vellet: & jam assensum maiores dederant; ac è Gallia Chirurgus designabatur, qui occultum illud malum secando manifestaret. Et si enim quid rei esset, aperte non constaret; putabat tamen licere crudelissimum illum vitae suae inuasorem, & domesticum tyrannum, vitae propriae iactura persequi: neque vitam ipsam tanti a mortalibus fieri debere, ut eam tanto incommodo, conservare teneantur. Sed amicorum precibus cessit, qui ad DEI gloriam & Societatis bonum fore depradicabant, si vel in extremis illis malis sine necem vitam traheret. Itaq; pro incredibili sua, quâ mente praeclusus erat, fortitudine, vastissimam dolorum voraginem constantissimè absorbere constituit. Et verò eo animi robore eam exhausit, ut in constantia exemplum jure merito proponi posse videatur. Quis adeo fortis sit animo, ipsq; corporis viribus, qui non solum ad ingentem istum tormentorum sensum non fatiscat, sed vel ipsa commemoratione non exhorrescat! ipse Lesius ad quaevis mala in concussus ingenuè fatebatur virus sui corporis minores esse, quàm ut ferociores illum adversarius exciperent; animum tamen ad ferociores hostes